



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Centvriæ Selectorvm Casvvm Conscientiæ. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

44. Irenævs crebrò blasphemando non peccat grauiùs, si affectus iræ non in Devm tendat, nec ipse aduertat ad vilipensionem Dei & rerum, sacrarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40942

XLIII. *Iordanus Beneficiatus frequenter omittit Breviarium, nec tamen restituit fructus illorum dierum, eo quod omissionem unius diei suppleat alio die, bis Breviarium dicendo. Quæritur. Vtrum idcirco à restitutione excusetur?*

Videtur non excusari. Ita Henriq. *L. 3. cap. 17. Bonac. de Horis Canon. D. 1. Q. 5. p. 2. n. 5. alij.* Quia onus illius diei est affixum prædicto diei, & transit cum die, adeoque trahet etiam secum obligationem restitutionis.

Resp. Iordanum excusari. Ita Maior. Paludanus, Ledesma apud Henriq. *loc. cit.* Filiuc. *Tr. 23. c. 10. n. 307.* & alij. Tum quia alio die recitans Breviarium omissum rependit æquale. Tum quia etiam, qui certo die tenetur legere Sacrum, non tenetur quidquam restituere, si alio die sacrificet.

Ad rationem in oppositum dicimus, onus illius diei esse quidem affixum diei, & transire cum die quoad culpam, non verò quoad pœnam Ecclesiasticam adiectam; hæc enim tam diu suspensa manet, donec sequenti tempore omissio in æquali compensetur. Vnde culpa & pœna non semper se comitantur; id quod Henriq. ipse concedere debet excusans *v. 29. comp. n. 30.* Beneficiatum ab omni fructuum restitutione, si per annum octies v. g. omittat Breviarium, quo in casu eundem utique non excusabit à culpâ.

XLIV. *Irenæus contra homines æquè ac iumenta*

menta frequenter iratus enunciat Christi vulnera, Sanguinem, Chrisma, Sacramenta, & horum non raro multa millia multiplicat dicendo: Hunderttausent Sacrament: daß dich Blut/ Tauff/ Chrysam schendt/ &c. Queritur. Vtrum mortaliter blasphemando peccet?

Videtur mortaliter sic peccare. Tum quia his verbis præter dirum maledictum inest etiam blasphemia. Tum quia Sacramentorum numerum contra fidem contemptim multiplicat. Tum quia res Sacras ob peruersum usum inuocatas dehonestat.

Resp. I. Si affectus indignationis & iræ tendat saltem virtualiter in Deum, committi grauem blasphemiam. Ita omnes, quia imminuitur indirectè saltem diuinus honor.

Resp. II. Si idem affectus non quidem tendat in Deum etiam indirectè, Irenæus tamen attenderit ad vilipensionem Dei, ac rei Sacrae, quam ea verba præ se ferunt, committi itidem mortalem blasphemiam. Ita Tanner. 22. D 1. Q. 8. n. 134. quia derogatur honori Dei.

Resp. III. Si ille ipse affectus indignationis & iræ nec vlllo modo tendat in Deum: nec Irenæus ad vilipensionem Dei & rerum Sacrarum attendat, non committi aliquod peccatum grauius. Ita Laym. L. 4. Tr. 10. cap. 6. n. 12. Ratio desumitur ex defectu cognitionis & voluntarij; quia tamen aliqua est irreuerentia, saltem materialiter talibus verbis

bis vti, ideo venialiter peccari, admittit Sanchez *L. 2. cap. 32. num. 30.*

Atque ex his patet ad rationes in contrarium iuxta diuersa responsa, è quibus vltimum eò frequentiore vsum habet, quò rariores sunt inter Germanos nostros, qui hisce iræ impetibus Deo, rebusque Sacris honorem atque æstimationem detrahere velint. Ceterum eum, qui habet talium verborum consuetudinem, teneri seridò conari eam tollere, rectè docet Layman *L. 1. Tr. 2. l. 3. n. 6.* & diximus supra casu III.

XLV. Iovita 1000. florenos hodie post annum solvere debet Faustino: & licet debiti huius nulla sit difficultas, nec aliud damnum, lucrum cessans &c. paciscuntur tamen, & ita convenit inter eos, vt Iovita presentes numeret hodie Faustino 900. florenos pro mille post annum solvendis, recipiatque Chirographum suum. *Queritur. Vtrum solutio hac sit licita?*

Videtur vsuraria. Ita Sotus, Valent. Molin. P. Navarr. Dicastillo *de Iust. T. 9. D. 2. n. 68.* & hoc teste communis Theolog. Ratio est, quia tanti æstimantur centum hodie, quanti post annum, adeoque sola expectatio temporis daret valorem rei, quod est absurdum, vt ostendit Dicastillo in varijs exemplis, inter quæ & contrariam sententiam paritatem constituit.

Resp. Probabile esse, solutionem illam
non